

Vof: XXIX

- 1) Ayner de Refaitione contractus vita =
- 2) Winokler ^{litu} de favore causarum matrimonia
- 3) Bochner ^{rium} de delictis extra territorium
- 4) Gebauer ^{admissio} de patria potestate.

678.



70

nr: 249

a. feb. 5

ORDINIS IURIDICI H. T. DECANVS
GEORG. HENRICVS AYRER D.

CONSIL. AVL. REG.
ET ANTECESSOR

VIRI PRAENOBILISSIMI DOCTISSIMIQUE
WERNERI CHRISTIANI MOTZII

BREMENSIS

SOLEMNIA INAUGVRALIA

INDICIT

ATQVE

HAC OCCASIONE

COEPTAM NVPER

SCHOLARVM PALATINARVM

LVSTRATIONEM

FINIT.



GOTTINGAE

TYPIS GEORG. LVDOV. SCHVLTZII, ACAD. TYPOGR. MDCCC1.

ORDINIS IURIDICI H. T. DECANVS
GEORG. HENRICVS AYER D.
VIRI PRAEVOBILISSIMI DOCTISSIMO
WERNERI CHRISTIANI MÖLLII
BRUNNENSIS
SOLEMNIA INAUGVRALIA

INDICIT
A T O V E
HAC OCCASIONE
COTTINGAE

SCHÖLARVM PALATINARVM
EVSTRATIONEM
PRINIT



GOTTINGAE
TAM GEORG. EVDOV. SCHWELTZII ACAD. TYRON. EPISCOP.



Post enumeratas (a) varias scholarum palatarum classes, iam illa nobis lustranda venit, cuius **IUSTINIANVS** in celebratissima illa l. 13. C. de *Judiciis* mentionem facit. Quo rectius vero haec a reliquis, quas nuper percensuimus, discerni possit, breuiter huc repetendum est, quid rei tum gesserit Sacratissimus Imperator. Crescebant nimirum sub ipsius imperio in dies querelae, quae iam olim saepius de immortalitate litium audita fuerant. Ad exemplum igitur **FLAVII VESPASIANI** (b) Imperatoris, iisdem abbreviandis intentus, inter alias, quas tanto tamque pernicioso reip. malo parabat, medicinas, iudices praecipue & patronos causarum in officio continere, atque, ne lites temere protelare auderent, sedulo cauere studuit, vtrisque, si in officio deliquerint, & cuique pro dignitate muneris, vel grauiorem, vel leuiorem poenam pecuniariam statuendo. Hanc vero per *scholam*

a) In programmate nupero, quo Viri Generosissimi, **OTTONIS BURCHARDI CHRISTIANI BEHR**, Solemnia inauguralia indicta sunt.

b) Iam enim hujus aetate litium ferriem ubique maiorem in modum excreuisse, manentibus antiquis intercapedine jurisdictionis, accedentibus nouis ex con-

ditione tumultuque temporum, & hinc ipsum sorte elegisse, qui iudicia centumuiralia, quibus peragendis vix suffe-
 ra litigatorum aetas videbatur, extra ordinem dijudicarent redigerentque ad breuissimum numerum, testis est **SVE-
 TONIVS** in *Vita Vespas.* c. x.



palatinam exigi, & modo priuatis suis largitionibus inferri, modo aerario suo applicari, modo publicis rationibus aggregari iussit. Similes loquendi formulae passim quoque alibi occurrunt, ex quibus vel verba finalia legis vnicae ab Imp. LEONE promulgatae Tit. C. Nulli licere in frenis & equestribus sellis & in balteis margaritas & Smaragdos & hyacinthos aptare, & de artificibus palatinis, huc quadrant, siquidem hanc continent sanctionem poenalem: Vnde summa seueritate sancimus, vt, quod in cultu ornatuque nostro sacrum & adoptabile est, id facere temeritas priuata non audeat. Si quis sane contra vetitum tranquillitatis meae aliquid fecerit, definitam superius multam ab his per officia palatinorum exigi & sacris largitionibus nostris iubemus inferri.

Indicari hic non alios, quam officiales, siue apparitores partim comitum thesaurorum, sacrarum largitionum & rerum priuatarum, remunerationum, vel munerationum, quibus cura fisci erat demandata, prouti IACOBVS GOTHOFREDVS ad totum librum V I. Cod. Theodos. operose & DIONYSIVS ad posteriores tres libros Cod. Justin. succincte tradidit, partim etiam scriniariorum, numerariorum, tabulariorum & chartulariorum, (c) ad quos fiscalis arcae ratiocinium & largitionales tituli tabulaeque fiscalium debitorum pertinebant; inprimis vero executorum & exactorum (d) officium huc spectare, ex subtrata, quod aiunt, materia, facile est ad intelligendum. Multas enim, tempore liberae reip. aerario populi, inferri solitas, sub imperatoribus contra

c) Vid. tot. tit. C. de Numerar. actuar. & chartular. & adiutoribus, Scriuariis & exceptoribus sedis excelsae ceterorumque iudicum tam militar. quam ciuil. & conf. GVTherivs de Officiis domus augustae. L. II. c. xiv. p. m. 410. sqq.

d) De quibus iridem extat tot. tit. C. ex quo potissimum lex 2. hic notanda est, ita disponens: Quicumque ex palatio nostro cuiuslibet tituli ad provincias commauerit, compulsor, exactor, admonitor portitorue praecepti, agens in rebus, vel palatinus, vel apparitor il-

lustrium potestatum: hoc tantum potestatis arripiat, quod mandatum curiae suae specialiter approbatur, ne quod in iunctum alteri fuerit, collegii iure praesumant: ne, dum hoc sibi inuicem mutui officii licentia partiuntur, agant cuncti, quod singulis credebatur. Subinde enim palatinos nimis importunos fuisse, limitesque officii excessisse, querelae de palatinae exactionis enormitate satis loquuntur, quarum nonnullas ex GREGORII M. epistolis & aliunde collegit CAROLVS DV FRESNE in Glossar. v. palatini.



tra fisco principis (e) plerumque cessisse, apertissime docet l. 5. C. de *Modo multarum, quae a iudicibus insiguntur*. Ita enim ibi Impp. VALENT. THEOD. & ARCADIUS ad Paetextatum praefectum praetorio rescripserunt: *Multarum seuera compendia aerario nostro protinus esse quaerenda, nullus ignoret; nisi ipse iudex id, quod ad poenam admissi facinoris exsculptur, vel publicis operibus, vel cursui publico, vel aliis necessariis causis specialiter deputauerit.*

Vberriam hic materiae segetem nobis subnasci, videmus, cum de multis generatim, tum de earundem a poenis differentia, tum etiam de ipsa multae dictione, tam mero, quam mixto imperio communi, eiusque causis variis differendi. (f) Sed breuitati iam studendum est. Quare pauca tantum attingemus, quae huc cum maxime faciunt.

Semper agnouerunt boni principes & prudentes legumlatores, publice interesse, ne lites fiant immortales, sed, quam fieri potest, citissime finiantur. Huic litium autem fini quum mox dolum, vel culpam & negligentiam iudicum, mox aduocatorum insidiatoriam malitiam & lutellosam astutiam (g), mox ipsarum partium litigantium prurium

ac

e) Differentiam inter aerarium populi & fiscum principis omnium optime exprimit PLINIUS in *Panegyrico Trajani* c. 36. dum ita principem alloquitur: *At fortasse non eadem seueritate fiscum, quam aerarium, cohibes, immo tanto maiore, quanto tibi plus licere de tuo, quam de publico, credis.* Successu tamen temporis nomina ista confusa fuisse, promiscuus eorundem vsus passim ostendit. Conf. diff. de *Jure occupandi bona vacantia*. §. III.

f) Multo cum fructu, nec sine voluptate conferes elegantem IOH. KOOLII dissertationem ad *L. Ateriam Tarpejam de Multis*, Trajecti ad Rhen. 1698. hab. & ILL. OTTONIS *Thesauro juris Rom.* T. V. insertam p. m. 1522. sqq.

g) Vtramque haud adeo inique de aduocatis, quos hinc causarum concinnatores non absone vocauit ab eo-

rumque astutiis, ne contemptibilis videatur, cauendum suavit proconsuli VLPIANVS in l. 4. §. 2 ff. de *Offic. procons. & legati*, praedicat RADVLPHVS FORNERIVS *Rer. quotidianar.* L. III. c. 1, apud Ill. OTTONEM l. c. T. II. p. 194. Neque improbabilis videtur ejusdem opinio, dum Gallicam vocem *Chicaneur*, vulgatissimum illum malitiosi aduocati titulum, a Graeca *Σικανός* deriuat, quam GALENVS in *Exposit. obsolet. diction.* HIPPOCRATIS insidiatoriam malitiam explicat, occasione forte a versutis Siculorum moribus arrepta, qui semper inter insulanos malos pessimi audierunt, & quorum facilem ad querelas ac suspiciones naturam secundum TVLLII in *Bruto* testimonium damnat CASSIODORVS L. I. *Variar.* ep. 3. Eadem denominationis ratio-



ac temeritatem obstare, deprehenderent, necessarium omnino duxerunt eiusmodi remoras certis coercere poenis atque vel sic efficere, vt intra tempus definitum causa controuersa terminetur.

Quam latus, quamue angustus terminus pro causarum grauitate, aut leuitate sit ponendus litigantibus eorumque aduocatis, non huius est loci vberius examinare atque definire. Sed qualiscunque demum a legislatore statuatur, sub comminatione mulctae, non temere contemnendae, id fiat; haec vero sine remissione vt exigatur, adeoque Schola palatina in usum reducatur, consultum est; quam si quis cum fiscalibus hodiernis, siue ita dictis commissariis fisci comparare velit, non multum a vero forte aberrarit. Tendit huc nouissimum, quod etiam plures alii principes imperii haud infelici successu iam imitati sunt, institutum **POTENTISSIMI REGIS BORUSSIAE**, qui suafu & auxilio immortaliter, vt de Codice Fridericiano, ita de iuris emendatione, meriti **ILLVSTRISSIMI L. B. DE COCCII**, sapientissime prouidere voluit, vt & veteres ciuium suorum lites quantocyus ad finem perducantur, & nouae celeriter expediantur. (b) Dudum quoque huc curam suam direxerunt Serenissimi legumlatores Brunsvicensis, id quod inter alias constitutiones salutare vel ordinatio Summi prouocationum Tribunalis (i), a **D. GEORGIO I.** anno **MDCCCXII.** promulgata, & ab Augustissimo Rege, **GEORGIO II.** denuo confirmata nouaeque constitutionum prouincialium collectioni **T. II.** inserta, luculenter commonstrat. Sed has aliasque leges, breuitatem litium pro scopo habentes, Scholaeque adeo palatinae simul officium excitantes, hic pluribus persequi non vacat. Tempus enim est, vt

ratione eiusmodi causarum consarcinatores, Graecis *δικορράφοι* a *δικορραφῆν* i. e. a consuendo, s. concinnando dicti, Sutellofi a sutelis, id est dolosis astutiis, ob similitudinem saentium, uti est apud **FESTVM** v. *Sutellae* adpellantur, quia sic attrita quotidiano vsu forensi ingenia, vt **QUINTILIANO** vocantur, siue *περιτρίματα τῆς ἀγορᾶς*, vt de **AESCHINE DEMOSTHENES** dixisse fer-

tur, indies versutiora fiunt in consuendis litibus & exercendis technis suis; cuiusmodi astuti etiam procuratoris, multis talibus sutelis foro cogniti, meminit **SYMMACTIVS**. **L. V.** ep. 52.

b) Spectat huc imprimis ex Codice Fridericiani delineatione **P. I.** Titulus **XIII.** *Von dem Amt des Aduocati Fisci und übrigen Fiscalen.*

i) Pertinet huc potissimum ex eius parte **I.** Titulus **III.** §. 10.



vt ad eum nos conuertamus, qui huic scriptioni ansam praebuit. Com-
mendandus nempe nunc venit summorum in vtroque iure honorum
Candidatus dignissimus,

VIR PRAENOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS,

WERNERVS CHRISTIANVS
MOTZIVS,

BREMENSIS,

qui vitae suae studiorumque rationem ipse sequentibus descripsit verbis:

*Natus sum Bremae d. 4. Maji MDCCXXIV. Patrem habui
CHRISTOPHORVM LVDOVICVM MOTZ, Praesidio Beipublicae
Bremensis Praefectum strenuissimum; Matrem vero adhuc superstitem &
quam Deus diu mihi conservet, LUCIAM MARGARETAM WER-
NERI KÖHNEN, Consulis de Republica Bremensi meritissimi, filiam
veneror.*

*Vix annos infantiae excefferam, cum Pater optimus, cuius ossa
jam molliter cubant, una cum Matre sedulo curaret, ut omnibus iis, quae
ad bene beateque vivendum necessaria sunt, sollicite educarer. Illorum
cura privatis praeceptoribus usus sum, donec ad lectiones publicas pro-
motus Illustris in Patria Gymnasii Civibus annumerabar, ubi Profes-
sores Ejusdem Doctissimi Celeberrimique tantum in me optimarum re-
rum doctrinis erudiendo studii adhibuerunt, ut idoneus viderer, qui
istam insignem scholam cum Academia extera commutarem. Marbur-
gum itaque 1745. sum profectus ibique per quadriennium fere haesi. Sci-
licet a Magnifico tunc temporis Prorectore, DYSINGIO, in album
academiae Civium sum relatus atque Virorum Illustrium, Excellentif-
simorum, Celeberrimorumque, ESTORIS praelectiones ad Pand: Jus
Germ: Canon: Feudale, KÖNIGII ad Institut: HOMBERGKII
zu Vach ad Instit: & Pand: ejusdemque neo non KÖNIGII exami-
natoria, SPANGENBERGII ad philosophiam, DYSINGII ad histo-
riam,*



riam, PÜTHERI deniquae ad Ius Naturae & historiam Imperii germanici praelectiones frequentavi. Studiis his ita feliciter peractis, cum mihi adhuc animus ea ulterius alibi excolendi esset, contuli me 1749. ad famigeratissimam hanc Georgiam Augustam, Excellentissimo KAHLIO fasces Academiae tenente, ibique celeberrimorum, quibus & haec Academia floret, Virorum ductu studiis academicis finem imponere sum anisus, quod tam feliciter evenit, ut Virorum Illustrum, GEBAVERI, SCHMAVSSII, BÖHMERI, & MEISTERI doctrinis solidissimis rite imbutus eam doctrinae comparatae fiduciam ceperim, quae mihi persuasit, ut inclutum ordinem adirem, honores privilegiaque doctoralia, ut haectenus res successit, non incassum ambiens.

Nec falsam sibi scientiae suae persuasionem induisse virum doctissimum, in consuetis examinibus, quae non minore alacritate, quam copia doctrinae, sustinuit, satis abunde sumus experti. Neque enim solum utriusque iuris textus ad explicandum propositos erudite tractavit, sed etiam ad quaesita promte & apte respondit, dignus adeo, ex ordinis nostri decreto, iudicatus, cui Gradus doctoris ad votum proxime conferatur. Fiet hoc, praescitu & assensu SPLENDIDISSIMI ACADEMIAE CANCELLARII, post habitam d. I. huius mensis ad l. 2. Cod. de Adoptionibus lectionem cursoriam, & defensam sub perill. GEBAVERI praesidio de patria potestate *disputationem inauguralem*, ad quam honorifica sua praesentia exornandam PRORECTOREM MAGNICVM, ILLVSTRISSIMOS S. R. I. COMITES, PROFESSORES OMNIUM ORDINUM CELEBERRIMOS, COMMILITONES GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQUE, ET QVOTQVOT FAVENT BONIS LITERIS, SVI QVEMQVE VEL SANGVINIS, VEL VIRTVTIS NOBILITATE MVNERISVE DIGNITATE CONDECORATISSIMOS, per officiose Collegii nostri nomine iniuito.
P. P. d. I. Octobris. c1749.

(L. S.)

7.A. 2347